





L. Wernsdorff  
in Dörrnau.

DE  
**IVRE CODICILLORVM** 2123.

PRAESIDE

1769 5<sup>a</sup>

MARTINO GOTTLIEB PAVLI D.  
DIGEST. VETER. P. P. O. CVR. PROVINC. CONSISTOR  
ECCLESIAST. SCABINAT. ET FACVLT. IVRIDIC. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORI

D. V. MAII A. R. S. CLIC CCLXVIII

H. L. Q. C.

PVBLINE DISSERET

AVCTOR RESPONDENS

GOTTLIEB WERNSDORF

GEDANENSIS.

WITTEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRKII  
ACAD. A TYPIS.

LAURE COGITO RUM

CARO PAVSIP

MATTHIAS GOTTLIUS RAVI D

HIC ET TUTTUR ME O CAR. FRONING CONSILLATOR

PROTOSYLLABICO ET PROLOGICO ET LEXICO

ET CANTICO ET CHORALICO ET HARMONICO ET

ET CANTUS ET CANTUS ET CANTUS ET CANTUS

ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMOQUE DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO AB OSTEN**  
S. R. I. COMITI A SACKEN  
TERRAE PILTENSIS IN CVRONIA CAPITANEO,  
DYNASTAE IN DONDANGEN, GROSS- ET ALT-  
BATHEN, NEV-CAMPEN, LAXDIEN RELIQUA  
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE  
MINISTRO STATVS INTIMO PRIMARIO,  
ORDINVM RVTHEN. S. ANDREAE ET S. ALEXANDRI  
NEWSKII EQVITI

PATRONO ET MAECENATI  
OPTIMO MAXIMO

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM

VETERI CLIENTVM MORE

D. D. D.

E I V S Q U E -

PRAESIDIO RES FORTVNASQVE SVAS

DEMISSISSIME TRADIT ET COMMENDAT

ILLVSTRISSIMAE EXCELLENTIAE EIVS

CVLTOR ADMIRATORQVE PERPETVVS

GOTTLIEB WERNSDORF.



## DE IVRE CODICILLORVM.

### §. I.

  
Quum de iure Codicillorum, quantum hoc loco fieri potest, dicere apud animum constituimus, vim vocis primum, eiusque in iure nostro usum et originem explicare debemus, ut his quasi fundamentis iactis tutius ipsum aedificium exstruere possimus. Sunt igitur codicilli parui codices; Codex autem dicitur plurium tabularum complexus, in quibus veteres scribebant, siue eae tabulae chartae fuerint, siue membranae, siue ligna cera inducta, omnia enim haec sub tabularum appellatione continentur *L. 1. pr. D. de Bon. poss. sec. tabb. et Iul. Paul. Recept. Sent. L. IV. T. 7. §. 6.* Quemadmodum igitur Romani omne maioris formae volumen Codicem dicebant, ita omnem scripturam brevem sub codicillorum nomine comprehendebant, unde epistole Ciceroni, Salustio, aliisque, in primis autem eae, quas praesentes dabant ad praesentes *Senecae Ep. ad Lucil. 55. et Tacito Annal. IV. 39.* codicilli dicuntur. Inde porro, qui per epistolam ab Imperatoribus ius ornamento rum, honorumque consularium acceperant, consules codicillares appellabantur, et in Notitia viriisque imperii, ipsi mandatorum

A 3

libri



libri, qui magistratibus dabantur, codicillorum nomine veniunt. Sed libera adhuc republica sub codicillorum vocabulo epistolae ad familiares in primis intelligebantur, et ex iisdem his epistolis codicillorum in iure usus omnem suam traxit originem. Saepius enim olim testatores eiusmodi epistolas ad heredes in testamento scriptos dabant, eosque, ut hereditatem vel partem eius aliis, qui ex testamento aliquid capere non poterant, restituerent, rogabant. Quanquam enim Legibus XII. Tabb. patrifamilias de rebus suis disponendi, latissima tributa esset potestas, id tamen postea interpretatione coangustatum est vel legum, vel auctoritate iura constituentium. L. 120. D. de V. S. Sic v. g. lex Furia testamentaria plus quam mille assuum legatarum prohibebat capere, praeter exceptas personas, et aduersus eum, qui plus ceperat, quadrupli poenam constituebat. Vlpian. Fragm. T. I. §. 2. et lex Voconia cauebat, ne quis census mulierem heredem institueret, neue mulieri ultra centum millia HS. legaret. Cic. Verr. I. 42. et Dio. Cass. L. 56. ut taceam leges alias. His itaque legibus, ut fraudem facerent testatores, incapacibus aliquid relicturi, personas habiles in testamento scribebant heredes, eosque rogabant, ut hereditatem vel partem ejus aliis, quibus hereditas defiri aut legata dari non poterant, restituerent, et cum restitutionem fidei heredis committerent, illae rogationes fidei commissa, et codicilli, in quibus rogabant, epistolae fidei commissariae appellatae sunt, vnde etiam in fidei commissis sola tantum precaria et obliqua verba obtinebant: Vlpian. XXV. 1. Ceterum nemo invitus olim cogebatur praefare id, de quo rogatus erat, et fidei commissa ab initio nullo iuris vinculo, sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur §. I. I. de fideic. hered. Quoniam vero hoc modo multi hereditate vel legatis fraudarentur, Imperator Augustus, exemplo primum suo aliis in exsoluendis fidei commissis praecendo, auctoritate deinceps sua codicillis firmissimam conciliauit vim obligandi iurisque auctoritatem. Quum enim L. Lentulus, qui Romae testamentum fecerat, et Augustum filiamque heredes instituerat, deinde decedens in Africa codicilos scripsisset,

❧ ☙ ☧

7

petisset, iisque aliquid ab heredibus suis fieri petisset, hanc Lentuli voluntatem illius inpleuerunt heredes. Cumque Augustus hac occasione exemplum, quod et approbarunt Romani et imitati sunt frequentissime, praebuisset, conticauit Iurisperitos et, cuius tunc temporis maxima erat auctoritas, Trebatium in primis, ex iisque quaesuit, an recipi possent, aut a iuris ratione alieni essent codicilli? suassisse autem Trebatium Augusto codicillorum usum, tanquam utilissimum ciuibus Romanis summeque necessarium propter magnas eorum et longas peregrinationes, ut, si propter ciuium Romanorum testium penuriam, testamentum facere non possent, codicillos tamen possent, refert Iustinianus *pr. I. de Codic.* Quo facto Augustus vim iuris auctoritatemque codicillis accommodauit, cumque post haec tempora et Labeo codicillos fecisset, nemini amplius erat dubium, quin codicilli iure optimo admittentur. Hac igitur ratione codicillorum vocabulum nouam recepit significationem, et species ultimae voluntatis esse coepit. Egregie autem, si priuam Codicillorum originem species, Theophilus in Insit. Tit. de Codicill. et Glossa verus graeca v. Κωδικηλλος, eos per supplementum eorum, quae voluntati testatoris in testamento defunt desinunt, et quia nullis ab initio iuris solemnitatibus erant adstricti, rectissime dicuntur nudae nulliusque iuris solemnibus subnixaе ultimae voluntates.

§. 2.

Enimuero non tantum testamento facto potest quis, inquit Iustinianus §. 1. *I. de Cod.* codicillos facere, sed et intestatus quis decedens, fidei committere codicillis potest. Itaque codicillorum duplex genus est. Vnum eorum, qui ad testamentum fiunt, quique codicilli dicuntur testato facti, alterum eorum, qui sine testamento, seu ab intestato fiunt, si scilicet quis intestatus moriturus, heredem suum legitimum bonorumve possessorem, vt hereditatem vel totam vel partem illius restitueret, codicillis rogauebit. *L. 3. l. 13. §. 1. et L. 16. D. de Iure Cod.* Qui ad testamentum fiunt, vel ante, vel post testamentum scribuntur, quodsi vero



vero codicilli testato sint facti et praecesserint testamentum, non  
 aliter olim, quam si testamento postea facto specialiter fuissent con-  
 firmati valebant, idque indistincte, sive directis, sive obliquis  
 scripti essent verbis. At Seuerus et Antoninus Impp. rescripse-  
 runt, vt ex iis codicillis, qui testamentum praecedunt, fideicom-  
 missum peti possit, si appareat, eum, qui postea testamentum fe-  
 cit, a voluntate, quam codicillis expresserat, non recessisse. §. 1.  
**I. de Codic.** Ex quo tempore quoad hos, qui praecedunt testa-  
 menta, codicillos distinctio inualuit, vtrum in illis directis verbis  
 quid scriptum sit, an vero obliquis, etenim, qui ciuilibus verbis  
 erant scripti, vti olim ita et hoc tempore confirmandi erant L. 6.  
**C. de Cod.** qui vero precariis, ex isto rescripto D. Seueri et An-  
 tonini, sine confirmatione valebant. Ceterum Iustinianus, quae  
 olim intercedebat legata inter et fideicomissa, differentiam §. 3.  
**I. de Legat.** et L. 2. **C. Commun. legat.** et **fideicomisf.** sustulit  
 prorsus, et, quod deest legatis, hoc vt repleatur ex natura fidei-  
 commissorum, si quid vero amplius est in legatis, per hoc, vt  
 crescat fideicommissorum natura constituit, quo facto, quae per  
 istud rescriptum olim introducta erat differentia, iterum sublata  
 est prorsus, adeo, vt ex his codicillis, qui testamentum praece-  
 dunt, si appetet eum, qui postea testamentum fecit, a voluntate,  
 quam codicillis expresserat, non recessisse, et legata peti possint  
 et fideicomissa, eriamsi non sint confirmati. E contrario vero,  
 qui testamentum sequuntur codicilli, eos confirmari testamento,  
 non est necesse, nec vnquam fuit, idque ideo, quia vires ex te-  
 stamento capiunt omnes L. 3. §. 2. **D. de Iur. Cod.** et sunt pars  
 illius L. 11. **D. Testam. quemadm. aper.** et jus ipsius sequuntur  
 L. 14. pr. L. 16. **D. de Iure Codic.** Istos autem, quod attinet,  
 qui sine testamento, sive, qui ab intestato fiunt, codicillos, eo-  
 rum introductionem, refert Iustinianus pr. I. de Codic. utilissimam  
 Trebatio et propter magnas ciuium Romanorum longasque pere-  
 grinationes necessariam maxime fuisse vifam, vt, si quis testamen-  
 tum facere non posset, codicillos tamen posset. Itaque iisdem  
 sine dubio, quibus, qui ad testamentum fiunt, temporibus vim  
 juris

¶ ¶ ¶

iuris obtinuerunt auctoritatemque. Ceterum L. 16. de Iur. Cod. inter codicillos ad testamentum et eos, qui ab intestato facti sunt insignem facit differentiam. Piores enim, siue praecedant testamentum, siue illud sequantur, pertinent ad testamentum, omnesque ex eo accipiunt vires, et vt, ad quod scripti sunt, valeat testamentum desiderant L. 14. D. eod. qui vero ab intestato sunt facti codicilli, per se subsistunt et vicem testamenti exhibent, et veluti imago sunt, seu imitatio illius. Quamvis itaque, quando v.g. rumpitur testamentum, forrassis agnatione posthumi praeteriti, rumpantur etiam codicilli testato facti, quia ius testamenti, ad quod facti sunt, sequuntur, ob eiusmodi posthumi agnationem tamen non rumpuntur, qui per se subsistunt codicilli ab intestato facti L. 19. D. eod. et paterfamilias creditur heredibus ab intestato succedentibus sua sponte relinquere hereditatem legitimam L. 8. D. eod. Ceterum ab initio scriptos duntaxat visitatos fuisse codicillos, nominis argumento patet, aucto tamen successu temporis eorum vsu, insuper habita vocis origine, declarationem quoque non scriptam, ad modum codicillorum factam, vim iuris auctoritatemque habere voluerunt L. 3. C. de Bon. libert. L. vlt. §. vlt. C. de Codic. L. 13. C. de SS. Eccl. Inde nata est codicillorum diuisio in scriptos et nuncupatiuos.

### §. 3.

Quoniam, qui ad testamentum fiunt codicilli, pro parte illius, prout dictum, habentur, et ius ipsius sequuntur, et vires omnes ex isto, ad quod facti sunt, testamento accipiunt, recte dixit Iustinianus, certe, si primam eorum originem respicimus, nullam eos solemnitatem ordinationis desiderare §. 3. I. de Codicill. Enim uero cum et sine testamento, siue ab intestato quis moriturus codicillos facere potest, eosque non tantum scriptos, sed etiam nuncupatiuos, ne post mortem eius dubii simus et incerti, an recte se habeant, quos fecisse dicitur defunctus, codicilli et illius voluntatem utrum vere contineant, nec ne? vt condendis iis quinque

B

testes



testes adhibeantur, vtque hi testes omnes simul adsint eodem, non separatis temporibus, et si codicilli siant scripti, vt eos subscriptant, voluit posterior aetas *L. 8. §. 3. C. de Codic.* Quo iure introduceto, vtrum amplius cum Iustiniano §. 3. *I. b. t.* codicillos nullam ordinationis solemnitatem desiderare, dici possit, nec ne? non olim tantum quaeſuerunt, sed etiam adhuc hodie quaerunt ICti. Rem omnem nonnulli adhibita distinctione expedire volunt, scilicet nullam quidem codicillos solemnitatem ordinationis desiderare, existimantes, sed solemnitatem probationis tamen. Enimvero, recte, si quid video Arn. Vinnius, ieūnam esse hanc nonnullorum distinctionem *ad §. 3. I. de Cod.* monuit, nam solemnitas omnis etiam in testamento non alia de causa requiritur, quam vt certo de voluntate defuncti constare possit. Codicilli itaque hodie, si dicendum quod res est, non omnino sine omni solemnitate et subtilitate ordinationis fieri possunt. Ceterum tamen non una est harum, quae in ordinandis codicillis obseruandae sunt, solemnitatum, et earum, quae in testamentis desiderantur, conditio. Praeterquam enim, quod in his septem adhibendi sint testes, in illis autem et omni alia ultima voluntate non, nisi quinque; testes testamentarii ab ipso testatore acciendi sunt et rogandi *L. 21. §. 2. D. qui test. fac. poss.* in codicillis autem, sive rogati sint testes, sive fortuiti, perinde est *L. 8. §. 3. C. de Codic.* cuius differentiae causam in eo positam esse existimat M. Aur. Galuanus *de Vsfr. Cap. X. §. 13.* quod testamentarii testes populi Romani conspectum exhibebant olim, codicillares non aequae, et quidem ob eam rationem, quia non, vt in testamentis, ita in codicillis disponitur de hereditate atque familia *L. 10. D. de Iur. Codic.* Quae ratio, si, prout videtur, recte se habet, insimul quoque, quid de quæſitione, quae a summis viris et consultissimis toties in controversiam est vocata, nimirum, vtrum mulier in codicillis testis adhiberi queat nec ne? fentiendum sit, nos edocet. Scilicet quoniam testes testamentarii populi Romani olim, in comitiis congregati, exhibebant conspectum, hinc non, nisi qui ſpecialiter rogati erant, ciues

ciues Romani, masculi et qui habebant iura comitiorum in testamentis ordinandis testimonium perhibere poterant. At codicillares testes populi Romani non exhibebant conspectum, et probationis magis, quam solemnitatis gratia in condendis codicillis adhibebantur *L. 32. C. de Fideicommissione*. quare neque ut specialiter rogati essent, neque ut iura comitiorum haberent, et masculi essent requirebatur. Accedit praeterea et haec ratio, mulier in iure nostro expresse non est prohibita in codicillis testimonium dicere, et quae exstat prohibitio, ea, vnicے ad testamenta et ad solemnitates, ad quas testamentorum ordinatio est adstricta, pertinet, ex quo ad exemplum Iulii Pauli *L. 18. D. de Testibus colligimus*, etiam mulieres testimonii in codicillis dicendi ius habere, in primis quoniam non in codicillis tantum, sed in omni etiam alia scriptura, in qua soluta pecunia memorabatur, quinarius olim testium numerus exigebatur *L. 18. C. de Testib. Vlr. Huberi Praelect. in Instit. L. II. T. 25. Ioan. Iac. Wissenbach Exerc. ad Pandect. L. IX. §. 18. Bened. Carpzov. P. III. Conf. 4. Def. 36. item Decis. illustr. Sax. P. II. Dec. CLII. n. 22. Io. Henr. de Berger Oec. Iur. II. T. 4. §. 36. Liud. Menken. Synops. Theor. et Pract. Pand. Lib. XXIX. T. VII. §. 2.*

#### §. 4.

His autem expositis, porro, quis facere possit codicillos, quis non? dispiciendum est, quam quaestionem Marcianus *L. 6. §. 3. D. de Iur. Cod.* definit, Codicillos, inquiens, is demum facere potest, qui et testamentum facere potest. Et recte quidem se habet haec Marciani regula, at animaduertendum tamen est, eam indigere declaratione, ne omessa ea, perdat officium suum. Ita autem declaranda est ista regula, ut potestas et facultas testandi intelligatur quo ad ius, non quo ad factum, hac ratione, ut ille quidem, qui si capacitatem iuris inspiciamus, testari non potest, nec possit codicillos facere, et fideicomissa dare *L. 2. D. de Leg. I.*

B 2

quod



quod si vero quis sit, qui, quantum ad ius pertinet, is est, qui potest testari, facto tamen impeditus, quia v. g. solemnitatem aliquam implere non potest, quae iure requiritur, si illud impedimentum cesset in codicillis conficiendis, in fideicommissis dandis, poterit fideicomissa dare, poterit codicillos confidere L. 8. §. 2. *D. de Iur. Cod.* Itaque si rure quis forte degens, non nisi quinque testes habere possit, is sine dubio, certe olim ante latam legem 31. *C. de Testam.* non poterat facere testamentum, cum ad illud conficiendum requirantur septem testes L. 21. *C. eod.* An ergo poterat facere codicillos? ait Paullus L. 8. §. 2. *D. de Iur. Cod.* non illud exigendum, ut, qui facit codicillos, possit eo tempore facere testamentum, sed ut iure testamenti factionem habeat, id est, non est inspiciendum, an possit ille, qui codicillos facit, eo tempore ea de facto implere, quae ad testamentum conficiendum sunt necessaria, sed illud est attendendum, an iuris habeat capacitatem. In casu proposito is, qui septem testes habere non potest, testari non potest, facto impeditus, non iure, illud facti impedimentum cessat in codicillis, quod non nisi quinque in codicillis requirantur testes, ergo valebunt codicilli. Eadem ratione mutus facto impeditur, quo minus possit testari, quia scilicet loqui non potest, et testes rogare, et iuris solemnitatem implere, et dici quidem potest iure eum prohiberi testari, non tamen ob defectum iuris, sed ob defectum facti, sicuti et iure quis prohibetur testari, si septem testes non habeat. Facto ergo impeditur mutus. Hoc autem impedimentum cessat in codicillis conficiendis, in fideicommissis dandis, in quibus verborum vel alia solemnitas non requiritur, ergo recte poterit mutus dare fideicomissa et codicillos facere L. 8. §. 3. *D. de Iure Cod. L. 6. D. qui test. fac. poss. Barthol. Chesus Interpret. Iur. L. I. C. 18.*

### §. 5.

Pergimus ad ea, quae in codicillis ordinantur ordinariisque possunt, vel non possunt. Codicillis autem, inquit, Iustinianus  
§. 2.

§. 2. *I. de Codic.* neque dari hereditas, neque adimi potest. Hinc in Codicillis neque heres scribi et institui, neque exhereditatio fieri potest, et haec est differentia, quae testamentum inter et codicillos intercedit. Et enim si Codicillis idem liceret, quod testamento, periret usus et ius omne testamentorum tot tantisque vigiliis excogitatum et inuentum, ut dicitur in *L. 25. C. de inoff. Test.* confunderentur iura testamenti et codicillorum, qui, ut nomine a testamentis distinguuntur, ita etiam re ipsa distinguui debent *L. 7. C. de Codic.* §. 2. *I. eod.* Cum autem substitutione sit institutio heredis secundi vel vterioris in casum deficiens primi, facile patet, in codicillis substitutionem quoque fieri non posse, quin heredi, in testamento pure instituto, nec conditionem quidem codicillis adiici, aut quae adiecta est in testamento iterum detrahi codicillis posse. *L. 6. pr. D. de Cod. L. 27. §. 1. D. de Condit. Inst.* Haec omnia tamen non, nisi de directa heredis institutione et substitutione, de admitione hereditatis, et exheredatione, quae fit verbis ciuilibus et imperatiuis, sunt intelligenda, nam per fideicommissum, id est, verbis obliquis et precariis hereditas etiam codicillis iure relinquitur, daturque et admittitur *L. 2. C. de Cod.* Dari intelligitur ei, cui hereditas restitu rogatur, adimi ei, qui ro-gatur restituere. Interest autem multum, vtrum dicamus, directo hereditate alicui esse relictam, an per fideicommissum duntraxat, nam directo relicta sempet tota capitur ab instituto, relicta vero per fideicommissum non capitur a fideicommissario, nisi detracta quarta Falcidia, si is, qui rogatus est restituere, iure suo vt velit. Ceterum ex benigna interpretatione *L. 76. D. ad Sct. Trebell.* heredum institutiones, eorum substitutiones, quin exheredationes quoque verbis directis in Codicillis factae sustinentur in primis hodie, perindeque habetur, ac heres legitimus in vim fideicommissi esset rogatus, scripto in codicillis heredi hereditatem restituere *Lüder Menken Synops. Theor. Pract. Pand. Lib. XXIX. Tit. VII.*  
 §. 3. Potest itaque quis in codicillis fideicommittere, sed, quoniam iure nouo discrimen omne inter legata et fideicomissa prorsus

B 3

subla-



sublatum est. *L. 1. et 2. C. Commun. de Legat. et Fideic. §. 2. I. de Legat.* legare quoque potest et mortis causa donare. His addimus codicillos etiam plures quem facere posse §. 3. *I. de Codic.* cum tamen plura testamenta vnius hominis, si excipias milites, esse non possint. Cuius rei ratio haud est obscura. Nam cum vnumquodque testamentum vniuersam contineat successionem, si nouissimam testatoris voluntatem seruari placet, prius semper rumpatur per posterius, necesse est. Codicillos autem plures diuersarum rerum quis potest facere, nec quidquam de prioribus detrahitur per posteriores, nisi sint contrarii *L. 6. §. 1. D. de Iur. Cod. L. 3. C. de Codic.*

### §. 6.

Haec de codicillis, quorum usus, si dicendum, quod res est, eludendis legibus repertus et declinandae iuris testamentarii subtilitati acceptus est. Sed restat tamen, ut famosissimae istius clausulae, cui codicilli dederunt originem, quaeque propterea codicillaris dicitur clausula, duobus adhuc verbis faciamus mentionem. Haec clausula testamento solet adiici hunc fere in modum: *Hoc testamentum volo esse ratum, quacunque ratione poterit L. 29. §. 1. D. Qui test, fac. poss. vel his verbis: Si hoc meum testamentum non potest valere iure testamenti, volo ut valeat iure codicillorum, L. 3. D. de Testam. mil. L. 8. §. 1. C. de Codicill.* sive etiam hac, qua usus est Gregorius Nazianzenus formula: Ταῦτη μὲν τὸν διαθήκην πολὺν νοῆ βεβάνω ἐνοψ βέλομαι, ἐπι παντὸς διατίσης, νοῆ πάσιν ἔξερτας, εἰ δέ νοῆ ὡς διαθήκην μη ἰχυσεῖν, νος βελήτω αὐτὴν εἴ τον καδικελλούν αὐτὴν ἰχύειν βέλομαι. id est. *Hoc testamentum meum ratum firmumque esse volo apud omnes iudices, et omni iure, quod si ut testamentum non valeat, valere volo ut aliam voluntatem vel codicillos.* Atque haec est celebris illa clausula codicillaris, quam necesse tamen est adiici expressim, si quis vult, ut testamentum obtineat vicem codicillorum, alioquin, si sit praetermissa, ultima ista voluntas, quae tanquam testamentum non valet,


valet, nec valebit iure Codicillorum, quia testamentum facere voluit  
 defunctus, non codicillos, et quod voluit, non fecit iure, et quod  
 non fecit, nec fecisse intelligitur. *L. 1. D. de Iur. Cod. L. 41. §.  
 3. D. de Vulg. et Pup. Substit.* Sed, *etsi clausula haec codicilla-*  
*ris in testamento plane sit omessa*, inquit Vlr. Huber. in Praelect.  
 ad Inst. Lib. II. T. 25. *in Praxi tamen eorum obtinuit sententia*,  
 qui facile eam intelligendam putant, eo, quod cunctis testatori-  
 bus ea stet mens, ut voluntates suas, quacunque ratione pote-  
 runt, effectum habere cupiant, hanc aliter animati, quam est  
*Lucius Titius in L. penult. §. vlt. D. de Legat. II.* eadem pror-  
 fus ratione, vii olim Cuiaci ad Africanum Tract. VIII. ad L.  
 61. §. 8. *D. de Furt.* sed Iacobo Cuiacio opponamus ipsum Cu-  
 iacium, vtpote qui ad L. ult. *C. de Cod.* omnia alia docuit, atque  
 clausulam istam in testamentis praecise exprimendam esse, abunde  
 probauit, in praxi autem eorum non obtinere sententiam, qui  
 clausulam hanc, omissam quamvis subintelligendam tamen esse  
 existimant, e pragmaticis ICtis commonstrant viri summi *Bened.*  
*Carpzov. Part. III. Const. IV. Def. 38. n. 7. et 8. item Part. II.*  
*Decis. CLV. n. 6. sq. Lüder Menken Synops. Theor. et Prof.*  
*Pandect. Lib. XXIX. T. VII. §. 7. alii*, quamvis testamenta  
 priuilegiata, militum v. g. parentum inter liberos et ad pias causas  
 facta excipientur, in iisque codicillaris clausula ex vsu tamen fori  
 potius, quam ex iuri ratione intelligatur adposita *Carpzov. l. l.*  
*Menken l. c. Io. Henr. de Berger Oec. Iur. Lib. II. Tit. IV. §. 36.*  
*n. 5.* Ceterum vis huius clausulae et potestas hic potissimum re-  
 dit, ut testamentum ratione solemnitatum externarum inualidum,  
 iure codicillorum et in vim fideicommissi sustineatur, dummodo  
 eorum desit nihil, quae in codicillis nostra desiderant iura. Non  
 autem supplet clausula ista defectum solemnitatum internarum,  
 non defectum in statu eius, qui testamentum condere vult, aut  
 in voluntate testatoris *Berger l. l. n. 2.* non defectum hereditatis  
 non aditae, non defectum, qui ex praeteritione liberorum aut pa-  
 rentum oritur. Sed in foro tamen iterum maiorem longe huic  
 clausulae



clausulae tribuere solent pragmatici effectum, adeo, ut eam testamentum sustinere dicant, in quo praeteritus est pater vel filius Berger. l. c. n. I. item testamentum destitutum, eatenus, ut fideicommissum ab heredibus etiam legitimis possit peti, nec non ruptrum a postumo testamentum, quorum omnium vix reddi potest ratio alia, quam *hoc iure utimur*. His addo eum, qui hereditatem tanquam ex testamento petiit, et succubuit, deinceps tanquam ex codicillis agere non posse L. 8. pr. C. de Codicill. nisi, qui agere volunt, parentes sint, vel agnati intra quartum, aut cognati intra tertium gradum, hanc enim limitationem ipse addidit Imperator in L. 8. §. 2. C. de Codicillis.








**ULB Halle**

005 361 745

3







D E

IVRE CODICILLORVM

34 3, 92.  
2123.

PRAESIDE

1769 5<sup>a</sup>

MARTINO GOTTLIEB PAVLI D.  
DIGEST. VETER. P. P. O. CVR. PROVINC. CONSISTOR  
ECCLESIAST. SCABINAT. ET FACVLT. IVRIDIC. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORI

D. V. MAII A. R. S. CICCI CCLXVIII

H. L. Q. C.

PUBLICE DISSERET

AVCTOR RESPONDENS

G OTTLIEB WERNSDORF

GEDANENSIS.

WITTEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACAD. A TYPIS.